



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Disputatio II. Christum esse verum Deum & hominem contra infideles.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

Galatin.
Bürgen.
Lyran.
Adrian.
F. nus.
Porchet.

Conditiones
Messie, con-
tra Iudeos

Hieron.
August.

Galatin.
Origenes.

Euseb.

Duo Messie
falsi Iudaei.

quæ adduximus, non potest satis colligi illum esse ve-
rum Messiam. Antecedens probant variis testimo-
niis scripturæ male intellectis, quæ breuitatis causa
pretermitto: nam ex dicendis facile expedientur, &
videri possunt in Galatino, & aliis, qui contra Iude-
os, scripserunt: vt Paul. Burgen. Lyran. Adrian. Finus,
Porchetus, & alij. Solum sunt nonnulla obseruanda,
ad detegendum Iudeorum errorem, & falsam scri-
pturarum intelligentiam. Primum Iudeos sperasse,
& adhuc sperare, Messiam temporalem Regem, &
potentissimum: magnas item diuitias temporales
ipsis allaturum, ac denique orbem terrarum, sub ditio-
ne Iudeorum subiugaturum: cum igitur hac spe nu-
triti essent, & Christum Dominum longe alia ratio-
ne, quam sibi fixerant natum esse mortuumque con-
spicerent, haud quaquam persuadere sibi potuerunt, B
illum esse Messiam: propterea nobis obiciunt ea pro-
phetarum oracula, quibus tempore Messie magna
foelicitas Iudeis promittitur, Isai. 6. Ioel. 3. Amos. 9.
Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & comprehendet arator
messorem, & calcator vineam mittentem semen, & stillabunt
montes dulcedinem: prædixerat autem paulo antea: In
die illa suscitabo tabernaculum Dauid, quod cecidit. Sed
isti sensu carnis decepti sunt. Regnum enim Messie,
& foelicitas per illum promissa, non caduca & mate-
rialis intelligenda est, sed spiritualis & æterna: pro-
missa sunt enim nobis per Christum ea bona quibus
non possunt esse aliqua meliora, quæque salutem veram
hominibus afferunt, & cum istis mortalibus & que pos-
sunt esse communia: huiusmodi autem proprietates
non possunt conuenire temporalibus bonis, sed spi-
ritualibus, & æternis. Deinde, idem Messias aliis pro-
phetarum oraculis describitur, pauper, humilis, & vir
dolorum, & sciens infirmitatem. Signum est igitur, abun-
dantiâ honorum per ipsum futuram, non carnaliter,
sed spiritualiter intelligenda esse, vt recte Hier. sæpe
docet super Prophetas, & Aug. lib. de spiritu & litera.
Hinc secundo errant Iudei, multa, quæ de aduentu
Messie metaphorice dicta sunt, iuxta corticem literæ
intelligentes, quæ cum illo modo impleta non videant
in Christo, offenduntur. Exemplum est apud Isai. c. 11.
Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hodo accubabit,
vitulus & leo, & ouis simul morabuntur, & puer paruulus
minabit eos, &c. Quæ omnia de feris & animalibus
brutis, ad literam intelligunt. Aliud exemp. u. est Isai. 2.
Erit in nouissimis diebus, preparatus mons domus Domi-
ni in vertice montium. Vnde colligitur in diebus Messie
Ierosolymitanum templum, & montem illum, in quo
fundatum erat, supra omnes montes esse altius eleua-
tum, vt Galat. supra refert. Similia sunt multa de
bonis, & libertate per Messiam promissis: quia, sæpe
sub metaphora materialium rerum, spirituales pro-
mittuntur: ipsi vero literæ, quæ occidit inhærentes,
spiritum occidunt. Hunc errorem Iudeorum late
persequitur Origenes lib. 4. perit. c. 2. à principio, ubi
optimis exemplis vitatur, ad illos conuincendos. I-
dem hom. 2. in Gen. sæpe Euseb. libris de demonst.
specialiter lib. 7. cap. 8.

Tertio denique errant Iudei non distinguentes du-
os Messie aduentus, alium ad saluandum, alium ad
iudicandum, illum in humilitate, hunc in gloria, &
maiestate. Hinc enim factum est, vt in conciliandis
oraculis de aduentu Messie, multum laboraret, & exi-
tum non inueniant: cum quædam, prædicent illum
uenturum pauperem, & humilem: alia vero ventu-
rum in claritate, & maiestate: Quo factum est, vt qui-
dam eorum duos iam fingant Messias, alium paupe-
rem, alium diuitem, quod vanum & fictitium est, &
scripturæ aperte repugnans. Hinc etiam facile expe-
diuntur quædam, quæ nobis obiciunt non esse in
Christo impleta, vt est illud de Gog. & Magog. Ezech.
38. & illud Malach. 4. Ecce ego mittam vobis Eliam Pro-
phetam, ante quam veniat dies Domini magnus: & horri-
bilis. Nam hæc & similia manifeste de ultimo Iudicij
die intelliguntur. Notarunt hanc radicem Iudaicæ

caecitatis Tertul. in Apolog. aduersus gentes. c. 21. & Tertul.
Cyprian. lib. de idolorum vanitate, versus finem. I-
ren. lib. 4. cap. 56. Origen. lib. 1. contra Celsum, non
longe à hinc. Anast. Nisen. libr. de questionib. sacræ
scripturæ. q. 52. & Rabbi Samuel in epist. de aduentu
Messie. cap. 9. & 10. tom. 5. Bibliothecæ.

Tandem, obiciunt nobis Iudei, quia in scriptura
dicitur Messias venturus nouissimis diebus, id est, in
fine mundi: nos autem dicimus multo ante venisse,
sed hanc locutionem explicabimus commodius in-
fra Disput. 4. dubio. 2. Hæc ergo sufficiunt de priori
principio, quod contra Iudeos probandum sum-
pimus. Plura videri possunt in Tertul. Cypr. Gre-
gor. Nisen. Chryfost. August. & Iuliano Archiepis.
Tolet. libris, vel rationibus contra Iudeos.

DISPUTATIO II.

In quatuor Sectiones distributa.

Christum esse verum Deum, & hominem,
contra infideles.

Riplex est infidelium genus, Hæreti-
corum, Iudeorum, & Paganorum. Hoc
igitur loco contra Hæreticos, & Iude-
os, qui scripturas aliquas admittunt,
potissimum disputandum est. Paga-
nos enim mysterio supernaturali, nec
ratione vincere possumus, nec autoritate diuina,
quam ipsi non admittunt. Vnde Iren. lib. 4. contra
Hæres. c. 41. propterea existimat dixisse Paul. Plus om-
nibus laboraui: quia cum esset gentium Apostolus, qui
scripturas non admittent, Christum esse Deum, &
hominem difficultus persuaderi poterant. Possimus
a. rationes illas hoc loco congerere, quibus hæ veri-
tates credibiles euidenter ostenduntur, & secundum
rectam rationem, & prudentiam omnino credende.
Sed hæc generalia sunt toti Christianæ fidei, qua-
propter ne materias confundamus in tractatum de
fide illa nobis reicienda sunt. Vñ hoc loco solum
abnotabo, prophetias, scilicet, omnes, quibus my-
steria Christi tanto antea prædicta sunt, & nunc cer-
nuntur impleta, manifestum argumentum esse non so-
lum contra Iudeos, sed etiam contra Paganos, vt fa-
teri cogantur omnino credibile: imo credendum esse
hanc fidem à Deo esse profectam, quia nec subterfu-
gere possunt negando libros, in quibus illæ prophe-
tiz continentur antiquiores esse, quam Christiano-
rum nomen: nec possunt suspicari à nobis fuisse con-
fictos, cum euidenter constet à Iudeis nos illos rece-
pisse, & hoc ipsum non solum Iudeis, sed etiam gen-
tes nobiscum fateantur. Vrget elegantem locum hæc
Aug. lib. 18. de ciuit. c. 46. & Hiero. super. c. 16. Isai. &
Theodor. oratione 10. de providentia. Omnis ergo Th
Paganis contra alios infideles, breuiter agemus.

SECTIO I.

Ostenditur Christum esse verum hominem.

Primum omnium, Messiam promissum futurum
fuisse verum hominem, non est quod probemus
contra Iudeos: nihil enim certius ab hominibus illis
existimatum est: quippe omnes supradictæ prophe-
tiz euidenter hoc continent, & omnes alie in qui-
bus dicitur Messias filius Dauid, de semine Abraham,
ex femore Iacob, & alie similes: ac denique verba
illa Moysis Deut. 18. expressa sunt. Prophetam de gente
tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabis tibi Dominus,
&c. Quoniam vero nonnulli Hæretici, vt Mani-
chæi, & alij, quos infra q. 2. referemus, hoc negare
audent, breuissimè ex Euangelio demonstrandum
est. Ait enim Christus Ioan. 8. Quærit me interfecte,
hominem, qui veritatem vobis locutus sum. Et ibidem
se nominat filium hominis: & sæpe alias, sic cap. 9.
cæcus dixit: Ille homo qui dicitur Iesus, tuum fecit:
quem postea non correxit Dominus, sed vltierus
perit ab illo, vt crederet, se esse filium Dei. Et c. 10.
Iudei

Tertul.
Cyprian.
Origen.
Iren.
Anast.

Irenæ.

Argumen-
tum ex pro-
phetis con-
tra Paganos.

At

H.

Th

Testimonia
scriptura de
Christo vero
homine.

Deut. 18.
Ioan. 8.

Induzi dicebant. De bono opere non lapidamus te: sed quia tu homo cum sis, facis te ipsum Deum. Christus vero primum admittens, se nihilominus Deum esse, & recte appellari confirmat. Vnde Centurio à Deo illuminatus Marc. 15. ait: Vere hic homo filius Dei erat: Et Ioan. 11. & 18 Caiphas de deo confitetur: Expedit, ut unus moriatur homo, &c. quod dixisse spiritu Prophetico, immo instinctu Spiritus sancti Euangelista declarat, cum subdit: Illum hominem esse Iesum, qui mortuus erat pro gente, &c. Et Ioan. 1. & Actor. 2. Vir appellatur. Et frequentia sunt talia testimonia, quæ vere, & proprie esse intelligenda tam certum est, quam certum nostram fidem esse credibilem, & certam: nam si in rebus quæ ad fidei fundamentum spectant, ambigue, & per metaphoras, vel secundum apparentiam scriptura loqueretur, omnia essent ambigua, & incerta, falsi scilicet interpretationibus exposita. Deinde id coniungit multitudo testimoniorum, & sermo ipse historicus, cuius sincera veritas alium sensum non permittit. Vnde eam ob causam narratur Christi origo secundum carnem, conceptio eius, & natiuitas: dicitur filius Virginis, comedere, ambulare, obedire, loqui, mori, & alia, quæ, vel falsa sunt, vel tantum in verum hominem conueniunt. Denique finis ipse Redemptionis hoc satis conuincit: quo argumento passim vtuntur patres, nam si non esset verus homo, nec exemplum attulisset, nec remedium. Vnde tandem optimus locus est ad Rom. 5. Sicut per unum hominem, &c. & infra: multo magis gratia Dei in gratia vnius hominis Iesu Christi: Tam ergo verus homo Christus, quam verus homo Adam.

Nec contra veritatem hanc aliquid possunt hæretici nobis obicere, nisi quod hinc fieri videtur, Christum non esse verum Deum, quia repugnat verum hominem simul esse verum Deum: de quo iam agendum est.

SECTIO II.

Ostenditur Christum esse verum Deum contra hæreticos

EX principio posito, Christum scilicet esse verum hominem, multi hæreticorum ipsum verum Deum esse negauerunt: vt Carpocrat. Cherint. Ebion. Basil. & omnes antiqui hæretici, quorum meminit Iren. lib. 1. cap. 24. & sequen. Tert. lib. de præscript. hæret. circa finem, Epiph. hæres. 27. & seq. Aug. hæres. 6. & seq. Theod. lib. 1. de hæret. fabul. circa fin. & Euseb. li. 3. hist. c. 27. & 28. & lib. 4. c. 8. & 22. Niceph. lib. 4. c. 2. & 3. quos postea secuti sunt Theodotiani à Theodo. D. 10. vel Theodotione depurati, vt patet ex Epiph. hæres. 54. August. hæres. 33. Niceph. lib. 4. c. 20. & 21. Hoc denique imitari sunt Paul. Samosa. Photin. Artemon. & alij, vt videre est in Epiph. hæres. 65. & 71. Aug. hæres. 44. & 45. Niceph. lib. 6. cap. 27. Euseb. lib. 1. cap. 28. de quibus videri potest Præteol. sub eorum nominibus: Sander lib. 7. de v. lib. monarch. hæres. 8. 13. & alijs. Castr. verb. Christus. hæres. 1. qui non satis conueniunt in temporibus, & successione horum hæreticorum describentis, quod præteribo, quia nihil ad causam refert. Ergo contra hos etiam Christum esse verum Deum ostendamus, & primo producā testimoniū Scripturæ sacræ, in quibus quod alicui tribuitur vero Deo, alibi asseritur de Christo homine. Primum, Psal. 67. de Deo dicitur: Ascendisti in altum, &c. quod de Christo homine exponitur ad Eph. 4. Secundò Isai. 6. de vero Deo dicitur: Vidi Dominum sedentem: quod de Christo exponitur Ioan. 12. Tertio Isai. 40. præcursor prædicitur paraturus viam Deo: quod de Christo etiam exponitur Matth. 3. Ioan. 1. Quarto Isai. 45. Mibi curuabitur omne genu: quod applicatur Christo ad Rom. 14. Quinto, Nu. 21. populus murmurat contra verum Deum: & tamen Paul. 1. Corin. 10. dicit eam murmurationem fuisse contra Christum. Denique Exod. 20. Deus ve-

Fr. Suarez, tom. 1.

rus dicitur educere populum de Aegypto: & tamen Exod. 20. Iudas Apostolus in sua Canonica, id fecisse dicit Ioan. 8. sum Christum Dominum nostrum: quem etiam ait, peccantibus Angelis non perperasse.

Aliud documentum huic non dissimile potest sumi ex alijs sacra Scripturæ locis, in quibus vel ipsemet Christus de se ipso, tanquam de vero Deo, loquitur, vel alij de ipso loquentes, quæ Dei propria sunt eidem tribuunt. Primo enim Ioa. 8. loquens hic homo Christus de se ait: Ante quam Abraham fieret ego sum, &c. 2. Ego, & pater vnum sumus. Et cap. 20. cum adorans Tho dixit: Dominus meus, & Deus meus, quam confessionem Christus ipse probauit dicens, ex vera fide profectam esse, 2. de eodem Christo, Paul. loquens ad Colos. 1. ait: Qui est imago Dei inuisibilis primogenitus omnis creaturæ, &c. Et statim c. 2. In eo habitat plenitudo diuinitatis corporaliter. Et ad Rom. 1. De filio suo, qui factus est ex semine Dauid secundum carnem. Et cap. 9. Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est Deus super omnia benedictus. Et totum ca. 1. & 2. ad Hebr. hanc veritatem confirmat. Tertio, 1. Ioan. 5. Iesus Christus ex Deo natus dicitur, & in fine concluditur. Hic est verus Deus. Et Apoc. 4. idem Christus esse dicitur: Qui est, & qui erit, & qui venturus est. Denique omnia testimonia Euangelij, & noui testamenti, in quibus Christus dicitur Deus, & filius Dei verus, ac naturalis, hoc ipsum conuincunt: sed hæc in materia de Trinit. latius expenduntur. Nobis illud vnicum sufficit, quod præcipuum huius materie fundamentum est, scilicet Ioan. 1. vbi dicitur, Verbum caro factum est: quod Verbum, paulo antea Deus appellabatur. Nec permittendus est error Erasmi, qui negat inde probari Verbum esse Deum quoniam cum prius dicitur Verbum esse apud Deum, additur in Græco articulus eleuans significationem, vt denotetur significari verus Deus: ac si Latine dicatur, Verbum erat apud ipsum Deum: deinde vero, cum Verbum dicitur Deus, tollitur articulus; sed hoc nullius momenti est; tum quia non vbiunque est sermo de vero Deo, ponitur ille articulus; vt patet inferius eodem capite, cum dicitur Deum nemo vidit vnquam, vel, Fuit homo missus à Deo: tum etiam, quia alijs locis, cum dicitur Christus Deus, additur articulus, vt Ioan. 20. ad Rom. 9. tum denique, quia illomet loco non est facta repetitio articuli, ne videretur sermo esse de eadem persona, cum dicitur Verbum esse apud Deum, & esse Deus: cum tamen in priori loco sit sermo de patre, apud quem dicitur semper fuisse filius, seu Verbum. Ex his ergo satis contra hæreticos conuincitur, quāquam Christus sit verus homo, simul tamen esse verum Deum; sed oportet hoc ipsum etiam contraludæos demonstrare: quod recte fiet si Messiam promissum in veteri testamento, fore verum Deum, ex eodem ostendamus. Ostenso namque Messiam esse Christum, quem ipsi fatentur fuisse verum hominem, aperte concluditur eundem etiam esse verum Deum.

SECTIO III.

Ostenditur Messiam esse verum Deum, contra Iudæos.

PAULUS ad Hebr. 1. ex varijs Psal. testimonijs hoc confirmat: vt est illud Psal. 2. Filius meus es tu, ego locus Psal. hodie genui te: nam in eo Psal. sermone esse de Messia adhuc Hebræi non ignorabant, vt refert Galatin. Galatin. lib. 3. c. 7. & Paul. ad Hebr. scribens: & Actor. 13. conuersionem habens Antiochiæ in Synagoga Hebræorum. illo in hoc sensu vtitur: quod non fecisset, nisi ipsos Hebræos ita sentire satis intelligeret. Et Acto. 4. hic sensus ponitur, vt communis & vulgaris in tota Ecclesia. Et quidem si recte verba ponderentur præsertim versus finem Psalmi euident est, nisi Messias, cuiquam aptari non posse: est ergo Messias, qui loquitur dicens: Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Psal. 89.

B 3

Syon

Syon montem sanctum eius. Et quoniam hoc regnum A temporale non est, sed spirituale, subdit statim: *prædicans præceptum eius*: additq; deinde: *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu*: utique verus & naturalis, & non tantum per adoptionem, vel participationem, ut patet tum ex proprietate vocis, tum ex singulari loquendi modo: *Filius meus es tu*: quasi diceret: alij sunt filij improprio, & imperfecto modo: tu autem specialiter filius meus proprius, & naturalis. De quo etiam ibidem interpretatur Paul. illud 2. Reg. 7. *Ego ero illi in patrem, & ipse eris mihi in filium*, cui respondet illud Psal. 88. *Ipse inuocabit me, pater meus es tu*. Hæc enim præcipue dicebantur de Christo, ut subiuncta verba declarant: *Et ego primogenitum ponam illum, excelsum præ Regibus terræ, & ponam in seculum seculi semen eius, & thronum eius sicut dies cæli*. Et illud: *Semē eius in æternum manebit*. Et illud: *Fidelis eris domus tuæ, & regnum tuū: vsq; in æternum ante faciem meam*. Hæc enim & similia de regno David prædicta esse non possunt, nec de temporali quidē eius regno, nec de alio quam de Christo vera esse, quod etiam Hebræos omnes intellexisse satis significatū est. Mar. 11. quando Christo accalamabant: *Benedictus qui venit in nomine Domini, &: Benedictus quod venit regnum Patris nostri David*. Sicut ergo hæc omnia propter Messiam dicta intelliguntur, ita etiam ipse est, de quo singulariter Pater dicit: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Quo posteriori verbo, æterna generatio significatur, ut multi Patres exponunt: quia licet Paul. Act. 13. de resurrectione Christi, explicet hunc locum, alij sancti de temporali ex matre generatione, omnes tamen hos sensus litera amplectitur: cum idem secundum diuinam naturam ab æterno genitus, secundum humanam in tempore C procreatus fuerit, ac à mortuis excitatus.

Mar. 11.

Act. 13.

Explicatur
locus Psal.
aa.Explicatur
locus.
Psal. 44.

Psal. 101.

Psal. 95.

Psal. 109.

Matth. 22.

Declarant deinde, Messie diuinitatem verba in eodē Psal. subiuncta secundum Hebraicam veritatē: ubi nos legimus: *Apprehendite disciplinam, Hebræa habent, Osculamini filium, cuius phrasis vim Hebræi hoc exemplo declarat*. Ita enim intelligitur se gere æternus Pater, sicut Rex, qui cum esset iratus ciuitati, eumq; filius precibus placasset, ciuib; volentibus sibi gratias agere, responderet, *Mihi gratias agitis, imo agite filio meo*. Tale est enim quod hoc loco dicit Pater: *Osculamini filium, id est, adorate eum, ei; gratias agite*. Addit deinde Paul. ad Psal. 44. *Sedis tuæ, Deus, in seculum seculi, Virga æquitratis virga regni tui dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus Deus tuus, &c.* Vnde manifeste eundem vocat Deum æternum, qui dilexit iustitiam, & odio habuit iniquitatē, & vnctus est oleo lætitiæ præ participibus suis: quæ duo non possunt conuenire nisi vni, & eidem, qui simul Deus, & homo sit. Et ideo non possunt hæc de Salomone intelligi, ut Iudæi volunt: sed de Messia, cuius Typus & figura Salomō fuit. Vnde paraphrasis Chaldaica Messie nomen expressum habet, dicens: *Et tu Rex Messia dilexisti iustitiam, &c.* Adiungit præterea Paul. testimon. ex Psal. 101. *In initio tu, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli*: loquebatur enim (ut Paulus indicat) David in eo Psal. ad Messiam, seu ad filium Dei, cuius incarnationem optabat, cum dicebat: *Tu exurgens Domine miserere Sion, quia venit tempus miserendi eius*. Vnde eidem loquens dicit: *In initio tu Domine terram fundasti*. Et ad eundem modum de Christo explicat illud Psal. 96. *Et adorent eum omnes Angeli eius*. Inde etiam eius diuinitatem stabiliens, quam plane totus ille psalmus euidenter prædicat, si ad Christum referatur, ut Paul. vult. Denique Psal. 109 habentur verba illa: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, quæ de se ipso Christus interpretatus est* Matt. 22. indicans significatam esse in illis diuinitatem suam, quoniam David Dominum suum vocat eum, quem filium suum futurum esse sperabat. Et Paul.

ex eisdem concludit Christum esse Angelis superiorum, quod ad dexteram Dei sedere dicitur, & paraphrasis Chaldaica, ut Galatinus refert libro 3. cap. 5. trāstulit, *Dixit Dominus Verbo suo*. Et antiqui Hebræi omnes intellexerunt illum Dominum, ad quē Dominus loquitur, eum inquit *Sede à dextris meis, esse Messiam, de quo inferius subdit, Ex vtero ante luciferum genui te*, quibus verbis æterna generatio descripta est. Est ergo Messias verbum Dei, & Deus ex Deo genitus.

Expositio
locus Isai.
cap. 9.

Secundo principaliter probatur hæc veritas testimonij Isai. Proph. quæ tam multa sunt, ut non possint omnia sine prolixitate congeri, quædam ergo breuiter indicabo. Primum sit ex cap. 9. *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus eius super humerum eius, & vocabitur nomen eius Admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis, multiplicabitur eius imperium, & pax eius non erit finis, & super solium David sedebit in sempiternum*. Qui locus est satis expressus, licet quidem Hebræi ad Ezechiam illum detorqueant, sed facile conuincuntur. Cur enim dicitur Ezechias pater futuri sæculi? aut quomodo dicitur princeps pacis, cuius non erit finis, cum multa bella gesserit cum Assyrijs? aut quomodo regnum eius sempiternum fuit, quod paulo post à Babylonjs dissipatum est? unde Chaldaica expressum etiam habet hic, nomen Messie. Sed dicunt alij nomen Dei hoc loco non proprium sumi, sed nomen Hebraicum proprium est Dei. Septuaginta etiam ita verterunt, atque in Scriptura appellatio Dei simpliciter, & absolute sine vilo addito diminuentem non tribuitur nisi vero Deo, & præsertim cōiuncta cum appellatione Fortis, & cum alijs, quæ significant maiestatem. Vrgent bene hoc testimonium Euseb. lib. 7. de demonstr. cap. 4. & lib. 9 cap. 8. Chrysostomus hom. 5. de incomprehensibili Deinitura.

Secundum testimonium sit ex cap. 55. *Deus ipse venit, & saluabit nos, tunc aperientur oculi caecorum, &c.* ex quo constat Deum illum venturum ad saluandos nos, esse Messiam, cuius etiam sunt propria signa illa & miracula, quæ ibi prædicantur, ut supra diximus. Nec vllus præter Christum illa perfecit, neq; ea Iudæi ab alio quam à Messia possunt expectare, cum nec ante Isaiam, nec post illum, prophetarum vllus talia signa operatus sit, sermonem vero. Ibi esse de vero Deo, constat & ex absoluta appellatione, ut dixi, & ex articulo, *Deus ipse, &c.* ex verbis, quæ præcesserunt: *Ipsi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei nostri, &c.* & ita hoc loco sæpe patres videntur. Athan. lib. de incarnatione. Verbi, satis post mediū, & alio lib. de humanitate assumpta in fine, *Non nuntius inquit, Non legatus, sed ipse Deus, idem lib. de communione essentia Patris & Filij, Cypri. lib. 2. contra Iudæos. cap. 7. Iren. lib. 3. cap. 22. Euseb. lib. 6. de demonstr. cap. 21.*

Expositio
locus Isai.
cap. 55.Cyprianus
Euseb.

Tertium testimonium sit Isai. 45. *In te est Deus, & non est Deus absq; te, vere tu es Deus absconditus, DEVS locus Isai. cap. 45.* Israel Saluator, præmiserat autem, *Hæc dicit Dominus, ut intelligatur in alijs citatis verbis non loqui prophetam ad Deum per apostrophem, vel admirationem, sed loqui patrem ad Christum, quod clarius significatur septuaginta, addendo causalem notam*. Dixerat enim prius Deus ad Messiam, *Transibunt ad te, & adorabunt te, & in te orabunt, & subdit, Quia in te est Deus, & non est Deus præter te, & illa locutio, In te est Deus, Christo propriissime accommodatur, vel quia Deus pater est in filio, ut exposuit Ambrosi. li. 1. de fide. c. 2. & Epiphanius contra hæres. c. 57. & Athanasius in oratione in id, Omnia mihi tradita sunt a Patre meo, vel quia in Christi humanitate est diuina persona, ut exposuit etiam Epiphanius supra, & Cyril. lib. 1. in Ioann. c. 15. Recte etiam dicitur filio: *Non est Deus absq; te*: Cyril. propter vnitatem naturæ. quia nec pater est Deus absq; filio.*

Ambrosius
Epiphanius
Athanasius
EpiphaniusCyrillus
Hærenius
absq; filio

absque filio, nec est alius Deus à filio, vt recte expo-
nit Nazian. orat. 49. versus finem: & Hieron. ibi;
qui addit merito Christum vocari etiam abscondi-
tum Deum, propter assumptæ humanitatis sacra-
mentum: & Deum Israel Saluatorem, quod intera-
pretatur Iesus: & ita exposuit hunc locum Tertull.
contra Praxeam. cap. 13. Euseb. lib. 5. de Demonst.
cap. 4. & Hilar. lib. 4. de Trin. circa finem, vbi dicit
Paulum imitatum fuisse hunc locum Isai. cum dixit:
Erat Deus in Christo, mundum reconcilians sibi.

Quartum testimonium sit, ex eodem Propheta
cap. 52. vbi prius verum ipsum Deum sic loquen-
tem facit: Hæc dicit Dominus Deus, in Aegyptum descen-
dit populus meus in principio, &c. & infra subdit: Ego
ipse, qui loquebar, ecce adsum. Idem ergo Deus, qui
antea per Prophetas loquebatur, quem populus Il-
rael colebat, postea per incarnationem apparuit. Vt
enim intelligatur sermonem esse de præsentia Dei
per incarnationem, & aduentum Messie: subdit Pro-
pheta: Quam pulchri super montes pedes Euangelizantis
pacem annuntiantis bona. Et infra: Consolatus est Do-
minus populum suum, redemit Ierusalem, parauit Domi-
nus brachium suum, in oculis omnium gentium:
& videbunt omnes fines terræ salutem Dei nostri. Ponde-
rauit hunc locum Soter. Papa epist. de decretali. Chry-
sost. hom. 5. in Marc. Cyril. lib. de incarnatione Vni-
geniti. cap. 2. Euseb. lib. 6. de demonst. cap. 24. & opti-
me Tertul. lib. 4. contra Marcionem cap. 13.

Tertio principaliter, ex Ierem. c. 23. Hoc est nomen
quod vocabunt eum, Dominus iustus noster: vbi habetur
nomen Tetragrammaton, quod est proprium Dei, &
manifeste est sermo de Messia, vt etiam Hebræi cõ-
fitemur, & bene Hieron. exponit. Et similia verba
habentur cap. 33. quanquam in ea sectione aliqua
varietas sit. Hebræi enim legunt. Hoc est nomen,
quod vocabit eum, Dominus iustus noster. Tamen
prior lectio frequentior est, & in Vulgata, & apud Se-
ptuaginta, & Chaldeum: & est textui magis consen-
tanea in ca. 23. vbi nulla reperitur veritas. Ac deniq;
admissa illa lectio trahi potest in eundem sensum, sci-
licet: Saluabitur Iuda, & Israel, & Dominus iustus
noster hoc nomine vocabit eam: scilicet saluatam,
& redemptam: ille autem Dominus iustus noster,
Messias est venturus ad illam liberandam.

Confirmatur ex Baruch. 3. Hic est Deus noster, vsq;
ad illud: Et cum hominibus conuersatus est: vbi aperte
loquitur de vero Deo Israel, qui legem dedit popu-
lo suo: quem postea dicit cum hominibus conuer-
satum, scilicet, hominem factum. Nam nisi de hac
speciali apparitione loqueretur, sed de alia forte,
que medijs Angelis fieri solet in corporibus assum-
ptis, vel per solam imaginariam aut sensibilem re-
presentationem, non diceret: Post hæc in terris visus est:
multo enim ante legem datam fuerat illo modo in
terris visus, & cum Abraham, Iacob, & alijs sanctis
hominibus conuersatus: loquitur ergo de singulari
mysterio incarnationis, vt recte Nazian. oratio. 36.
quæ est 4. de Theologia circa medium, & orat. 39.
non longe à fine. Cyprian. lib. 2. ad Quirinum, c. 6.
Chrys. homil. q. Christus sit Deus, & hom. 5. de in-
comprehensibili Dei natura. Euseb. lib. 6. de de-
monst. c. 19. August. 18. de ciuit. c. 33. Lactant. lib. 4. de
vera relig. cap. 13. vbi alia etiam adducit testimonia.
Verum est, Iudæos non admittente hunc librum Baruch
in canone scripturarum: nos autem de fide suppo-
nimus esse librum canonicum, quod alio loco pro-
bandum est.

Quarto arguitur ex alijs Prophetis, primum te-
stimonium sit ex Zach. 2. Hæc dicit Dominus exercitu-
um: post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliauerunt vos:
& infra: Lauda, & letare filia Sion, quia ego venio, & ha-
biabo in medio tui, ait Dominus, & applicabuntur gentes
multæ ad Dominum die illa, & erunt mihi in populum, &
habituabo in medio tui, & scies, quia Dominus exercituum
misit me ad te. Vbi Deus & Dominus exercituum mis-

sus dicitur à Deo exercituum, ad saluandas gentes,
& congregandam Ecclesiam ex Iudæis & gentibus.
Est ergo apertus locus de diuinitate Messie: vt re-
cte ibi Hieronymus, & Euseb. lib. 2. de demonst. cap. 2.
demonstrat. 18. & libro 5. cap. 25. & 26. lib. 6. cap. 17.
Ambrosius 2. de fide. c. 3. August. 20. de Ciuitate cap. 1.
ultimo.

Secundum testimonium sit ex eodem capite 12. Explicatur
Essendam super domum Dauid, & super habitatores Ieru-
salem spiritum gratiæ, & precum, & afficient ad me quem
confixerunt. Vbi verus Deus est, qui loquitur & pro-
mitte se daturum spiritum suum; & tamen dicit se
esse crucifigendum, vt bene exponit Cyprian. lib. 2. Cyprian.
contra Iudæos cap. 20. & Euseb. lib. 8. de demonst. 4. Euseb.
Aug. lib. 20. de ciuit. c. 30. August.

Tertium sit ex eodem. cap. 13. vbi in principio in-
quit: Erit in die illa, dicit Dominus exercituum, disper-
dam nomina idolorum de terra. Et postea circa hanc
subdit: Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum? &
dicit: hæc plagatus sum in medio eorum, qui diligebant me:
quem locum notant ibi Hieron. Rupert. & alij ex-
positores: & D. Tho. in id Psalm. 21. Foderunt manus
meas.

Vltimum sumi potest ex Mich. 5. Es ex te egredie-
tur mihi Dux (sermo est de Bethlehẽ) qui sit dominator
in Israel: vbi clare est sermo de Christo, & Messia:
vt etiam Pharisei Herodi responderunt, Matth. 2. &
tamen de eodem statim subdit: Egressus eius ab initio
diebus æternitatis: nimirum secundum diuinitatem,
& æternam generationem, vt eleganter ibi exponit
Hieron. & Euseb. lib. 7. de demonst. c. 4. dictio enim
illa, ab initio, proprie dicta, & præsertim coniuncta
cum alia particula, à diebus æternitatis, significat exi-
stentiam sine principio: sicut Eccles. 24. Ab initio, Eccles. 24.
& ante secula creata sum. Ad hæc testimonia variis
modis conantur respondere Iudæi, sed non oportet
in eis confutandis immorari: tum quia nihil affe-
runt verisimile, aut probabile: tum etiam, quia, vbi
tot sunt testimonia Scripturarum, quæ se mutuo iu-
uant, & explicant, omnia simul cõsideranda, & pro-
prietates verborum quoad fieri possit, tenenda est,
quibus obseruatis nullus tergiversari poterit, nisi a-
perite velit veritati resistere.

SECTIO IV.

Soluantur obiectiones.

Contra veritatem hanc obijci possunt in primis
omnia, quæ contra veram diuinitatem verbi di-
uini Arriani solent obijcere. Sed hæc cum in mate-
ria de Trinitate proprium locum habeant, non sunt
hic à nobis pertractanda. Deinde illa etiam argu-
menta obijci possunt, quæ probare contendunt, nõ
posse eundem esse verum Deum, & hominem, &
consequenter cum Messias sit verus homo, non pos-
se etiam esse verum Deum. Sed hæc attingunt myste-
rium ipsum incarnationis, ac eius modum: & ideo
in quæstionem secundam relinquenda sunt.

Vnum ergo tantum video posse obijci à Iudæis
ex Deuter. 14. vbi sic dicitur: Prophetam de gente tua, daurum,
& de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus De-
us tuus: quem Prophetam esse Christum interpreta-
ti sunt Petrus, & Stephan. Act. 4. & 7. imo ad eum
locum videtur allusisse Christus, cum dixit Ioan. 5. & 7.
Si credidissetis Moysi, crederetis & mihi: de me enim ille
scripsit, vt notauit Cyprian. libro 1. contra Iudæos,
cap. 18. At vero ibi indicat Moyses Prophetam illum
non esse futurum Deum: tum quia dicit sibi futu-
rum similem, atq; adeo purum hominem, sicut ipse
erat: tum maxime quia subdit: Ipsum audies, vt pe-
tisti à Domino D E O tuo in Horeb, quando dixisti, vt
tra non audiam vocem Domini D E I mei: & ait

B 4 Domi-

Tertul.
Euseb.
Hilar.Explicatur
locus Isaiæ
cap. 23.Hier. PP.
Chrysost.
Cyril.
Euseb.
Tertul.Explicatur
locus Ierem.
cap. 23.
in om. 33.Nazian.
Cyprian.
Chrysost.
Euseb.
August.Euseb. Z.
cap. 2.

Tertullian.
Irenæus.
Clem. Alex.
Iustin.
Augustin.

Dominus, bene omnia sunt locuti, Prophetam suscitabo ei similem tui, &c. Ergo ille Prophetam non erat futurus Dominus Deus, nam populus petebat, ne sibi Dominus loqueretur, ac Deus admittit petitionem dicens, sedaturum Prophetam, & per illum locuturum. Respondetur ex Tertulliano libro 4. contra Marcionem, cap. 22. & Irenæo libro 3. cap. 11. Clem. Alex. lib. 1. pædago. cap. 7. Iustin. quæst. 101. ad gentes, & August. 16 contra Faust. cap. 15. & 18. ibi solum dici Prophetam illum futurum fuisse verum hominem, Prophetam, legislatorem, & mediatorem inter homines ac Deum, & ita similem Moyfi, & in natura, & in officio: non vero oportet, ut in omnibus aliis conditionibus futurus esset omnino similis, alias nec fuisset Redemptor, nec natus ex Virgine, nec in similibus perfectionibus Moysem superasset. Quia ergo ibi Moyfes expresse non doceat, Prophetam illum futurum Deum, quia rudis populus capax non erat tanti mysterij, non tamen hoc negat, nam quod postea significat, Deum per se populo non esse locuturum, sensus est: non locuturum eo modo, quo antea quasi per diuinitatem ipsam, & signis, ac prodigiis illam indicantibus, sed locuturum humana voce per humanam naturam, ex eorum genere assumptam; quo non excluditur, quin ille Prophetam, Deus simul futurus esset, & verus homo. Ex his ergo sufficienter ostensum relinquitur contra omnes infideles, incarnationis mysterium esse factum.

QVÆSTIO PRIMA.

De conuenientia Incarnationis, in sex articulos diuisa.

Circa primum, tria consideranda occurrunt. Primum quidem de conuenientia Incarnationis Christi. Secundo de modo vnionis Verbi incarnati. Tertiò, de his, quæ consequuntur ad hanc vnionem.

Circa primum quærentur sex.

Primo, vtrum conueniens fuerit Deum incarnari.

Secundo, vtrum fuerit necessarium ad reparationem generis humani.

Tertiò, vtrum si non fuisset peccatum Deus incarnatus fuisset.

Quarto, vtrum principalius sit incarnatus ad tollendum originale peccatum, quam actuale.

Quinto, vtrum conueniens fuerit Deum incarnari à principio mundi.

Sexto, vtrum eius incarnatio differri debuerit vsque in finem mundi.

ARTICVLVS I.

a Vtrum conueniens fuerit Deum incarnari.

3 d. 1. q. 1. art. 2. & 4. cont. gen. c. 40. 49. 53. 54. & 55. Et opus 2. c. 5. & 6. & op. 3. c. 207. & 208.



Ad primum sic proceditur. Videtur, quod non fuerit conueniens, Deum incarnari. Cum enim Deus ab æterno sit ipsa essentia bonitatis, sic optimum est ipsum esse sicut ab æterno fuit: sed Deus ab æterno fuit absque omni carne. Ergo conuenientissimum est, ipsum non esse carni unitum. Non ergo fuit conueniens, Deum incarnari.

2. Præterea, Quæ sunt in infinitum distantia, inconuenienter iunguntur: sicut inconueniens iunctura esset, si quis pingeret imaginem, in qua humano capiti ceruix iungeretur equina: sed Deus & caro in infinitum distant, cum Deus sit simplicissimus, caro autem maxime composita, & præcipue humana. Ergo inconueniens fuit, quod Deus carni vniiretur humana.

3. Præterea. Sic distat corpus à summo Spiritu, sicut ma-

litia à summa bonitate. Sed omnino inconueniens esset, quod Deus qui est summa bonitas, malitiam assumeret. Ergo non fuit conueniens, quod summus Spiritus increatus corpus assumeret.

4. Præterea, Inconueniens est, ut qui excedit magna, contineatur in minimo: & cui imminet cura magnorum, ad parua se transferat: sed Deum, qui totius mundi curam gerit, tota rerum vniuersitas capere non sufficit. Ergo videtur inconueniens, quod intra corpusculum vagientis infantia lateat, cui parum putatur vniuersitas: & tandem à sedibus suis absit ille Regnator, atque ad vnum corpusculum totius cura mundi transferatur, ut Volusianus scribit ad Augustinum.

Sed contra, illud videtur esse conuenientissimum, ut per visibilia monstrarentur inuisibilia Dei: ad hoc enim totus mundus est factus, ut patet per illud Apostoli Romanorum 1. Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt intellecta: conspiciuntur: sed sicut Damascenus dicit in principio tertij libri. * Per incarnationis mysterium monstratur simul bonitas, & sapientia, & iustitia, & potentia Dei, vel virtus. Bonitas quidem, quoniam non despectit proprii plasmati infirmitatem. Iustitia vero, quoniam hominem victo, non alio, quam homine fecit vincit tyrannum, neque vi eripuit ex morte hominem. Sapientia vero, quoniam inuenit difficillimi præstigi decentissimam solutionem. Potentia vero sue virtus infinita, quia nihil est maius, quam Deum fieri hominem. Ergo conueniens fuit Deum incarnari.

b Respondeo dicendum, quod vnicuique rei conueniens est illud, quod competit sibi secundum rationem propriam naturæ: sicut homini conueniens est ratiocinari, quia hoc conuenit sibi, inquantum est rationalis secundum naturam suam. Ipsa autem natura Dei est essentia bonitatis, ut patet per Dionysium 1. cap. de diuinis nominibus. † Vnde quicquid pertinet ad rationem boni, conueniens est Deo. Pertinet autem ad rationem boni, ut se aliis communique, ut patet per Dionysium 4. capite de diuinis nominibus. * Vnde ad rationem summi boni pertinet, quod summo modo se creature communique: quod quidem maxime fit per hoc, quod naturam creatam sibi coniungit, ut vna persona fiat ex tribus, scilicet, verbo, anima, & carne: sicut dicit Augustinus 13. de Trinitate. * Vnde manifestum est, quod conueniens fuit Deum incarnari.

c Ad primum ergo dicendum, quod incarnationis mysterium non est impletum per hoc, quod Deus sit aliquo modo à suo statu immutatus, in quo ab æterno fuit, sed per hoc, quod nouo modo se creature vniuit, vel potius eam sibi. Est autem conueniens ut creatura, quæ secundum rationem sui mutabilis est, non semper eodem modo se habeat. Et ideo sicut creatura incepit esse, cum prius non esset ita conuenienter, cum prius non esset unita Deo in persona, postmodum ei fuit unita.

d Ad secundum dicendum, quod vniiri Deo in unitate persone, non fuit conueniens carni humana, secundum conditionem sue naturæ, quia hoc erat supra dignitatem ipsius: conuenient tamen Deo secundum infinitam excellentiam bonitatis eius, ut sibi eam vniiret pro salute humana.

e Ad tertium dicendum, quod qualibet alia conditio, secundum quam creatura quæcunque differt à creatore, à Dei sapientia est instituta: & ad Dei bonitatem ordinata: Deus enim propter suam bonitatem, cùm sit increatus, immobilis & incorporeus, produxit creaturas mobiles & corporeas. Et similiter malum pœna à Deo instituta est introductum propter gloriam Dei: malum verò culpe committitur per recessum ab arte diuine sapientie, & ab ordine diuine bonitatis: & ideo Deo conueniens esse potuit assumere naturam creatam, mutabilem, corpoream, & penalitatem subiectam: non autem fuit ei conueniens assumere malum culpæ.

f Ad quartum dicendum, quod sicut Augustinus respondet in

Epist. 2. post med. illius 10. 2. inter o. per Aug.

Lib. 3. orib. s. d. c. 1. in m. d. o. illius.

3 d. 1. q. 1. art. 2. ad 3. & q. 2. ar. 2. 1. Et 4. q. 1. ar. 12. q. 1. co. & 2. c. 1. ad med. illius.

cap. 4. circa prime.

Lib. 13. c. 17. non procul à princ. 10. 3. Inf. a. q. 2. ar. 1. Et 3. d. 1. q. 1. ar. 1. 3.